

politicas, non vero celestes invitationes auscultare maluisset.
D. Fuitne post obitum Constantini Magni perturbata Ecclesiarum pax?

M. Constantini Magni tres filii, videlicet Constantinus, Constantius, & Constans, post mortem patris Imperium ita inter se partiti sunt, ut Constantinus Gallias, & quidquid est extra Alpes, obtineret: Constantius Romam, Italiam, Africam, Siciliam, ac reliquas Insulas cum Illyrico, Macedonia, & Græcia regeret; Constantius denique Thraciam, Asiam, Orientem cum Ægypto administraret. Hi tres Augusti, cum essent Religione Christiani, suo patrocinio Christianam, quam profitebantur, Religionem fovērunt. Sed Constantinus junior ditionem fratris sui Constantii invadere volens occisus est anno 340. Zosimus tamen id ætatis Scriptor lib. 2. Constantini mortis causam refundit in Constantem illum fratrem, quem ait, triennio toto iracundiam in fratrem ob controversiam de Italia, & Africa dissimulasse; dumque fingit milites ad Constantium pro Bello Persico mittere, Constantinum occidisse. Constantius, occiso fratre suo Constantino solus in Occidente imperavit, & Constantius illius frater in Oriente. Constans Imperator Occidentis fuit occisus in Gallis a tyranno Magnentio anno 350. qui toto Occidente potitus est. Sed anno sequenti Magnentius ad Urbem Muriam victus a Constantio, ex Italia cum paucis profugus evasit in Galliam, ac tandem Lugduni sibi necem intulit anno 353. tum Constantius totum Imperium Romanum solus moderari cepit, & cum esset Arianus errore infectus fuit impense Arianis, Orthodoxos Episcopos persecutus est, multaque coegit Concilia, quæ avitam de Verbi Divini consubstantialitate doctrinam in Concilio Nicæno sanctam reprobavit, & hanc vocem *ὁμοούσιον*, quam velut Fidei Catholicæ testem adversus Arianos consecraverant Patres Nicæni, repudiarunt. Sub hoc Imperatore Ariana Hæresis altas radices egit, & per totum pene Orbem instar cancri serpsit. Tandem, Constantius, postquam multa, eaque gravissima Ecclesiarum damna intulisset, vitam cum morte commutavit anno 361. & sub finem vitæ suæ ab Euzojo Antiochiæ Episcopo Ariano baptizatus est; ut testatur auctor Chronici Alexandrini.

D. Imperator, qui successit Constantio, fuitne Arianus, aut Catholicus?

M. Nec Arianus, nec Catholicus fuit. Sed Imperator, qui successit Constantio, fuit Julianus Julii Constantii, & Basilinæ filius vulgo *Apostata* cognominatus, quod Christiana Religione publice ejurata, hostem se Christi, ac mysteriorum ejus infensum exhibuit inimicum. Eo imperante Ethnicismus, qui sub Constantino Magno, & Constantio pene fuerat extinctus, vires resumpsit; Deorum antehac clausa Templata fuerunt referata, nova extructa, & per totum Imperium renovata superstitione Ethnicorum caeremoniarum, ad quas perfidus ille Imperator populum & eos, qui Magistratum gerebant, qua exemplo, qua suis adhortationibus, vehementer concitabat. Nullum quidem adversus Christianos publicum Edictum tulit Julia-

nus Apostata, sed ad illos exterminandos mille adhibuit nocendi artes. In primis, Catholicos Episcopos, qui sub Constantio Imperatore Ariano in exilium amandati fuerant, revocavit, ut eos Arianis Episcopis opponeret, sicque mutuis altercationibus sese lacerarent, aut defatigarent. Dein, Christianorum Antislites ad se in Palatium accersivit, & cui quisque vellet Sectæ jussit adhærescere. Christianos e suo Palatio expulit, honoribus, officiis, & dignitatibus privavit. Crucem in vexillis militaribus deinceps depingi vetuit. Urbes, quas Christianis adversari norat, favore suo, & patrocinio dignatus est; illis autem Civitatibus, quæ Christianis favebant, infensum se præbuit. Qua de causa male semper fuit affectus Julianus in populum Antiochenum, eo solo nomine, quod sicut ipsemet fatetur in suo *Misopogone*, quem contra Antiochenos scripsit, Populus Antiochenus sectaretur impietatis Sectam (sic impius ille Christianam Religionem vocat) & Christum, vel Civitatis Antiochenæ Numen tutelare coleret. Ad hæc, ut Christianam Religionem, quam cane pejus, & angue oderat, facilius aboleret Julianus, Christianis studia litterarum omnino interdixit, privilegia Clero a Constantino Magno concessa abrogavit. Judæos reedificatione Templi Hierosolymitani, quam frustra tentavit, sibi promereri studuit, sed ne id faceret, Deus miraculo prohibuit, erumpentibus & fundamentis ignibus, & apparentibus in Judæorum amictu Crucibus, quas nulla lotio potuit abluere. Persecutiones, quas tam in Oriente, quam in Occidente præfeci, vel populi in Christianos excitabant, impune grassari permisit, nec eas compescere curavit. Denique, scelestissimus ille Imperator animadvertens omnes suos ad opprimendam Religionem Christianam conatus ad nihilum recidere, decrevit, dum ad Bellum Persicum, quod susceperat, sese accingebat, omnes ad unum Christianos internecone delere, si incolumis, & victor e prælio reverteretur. Sed ipse sua frustratus est, pœnas ipsius impietatis exigente Numine. Nam in prælio, quod cum Persis conferuit, telo lethaliter vulneratus est, dumque moreretur, sanguinem manu haustum e vulnere in cælum jactans rabie, & furore percitus prorupit in hæc verba: *Vicisti Galilee*. Christum siquidem *Galileum* per ludibrium appellare solebat. Sunt tamen, qui post auctorem Chronici Alexandrini narrant, Julianum lancea divinitus fuisse transfixum a S. Mercurio Martyre, eoquod sacrilegus ille Imperator S. Basilium Seleucenum Episcopum veneno extinxisset. Ut ut sit, Julianus Apostata scetidam animam exiit VI. Kal. Julias, nempe die vigesima sexta Junii anni 363. (a).

„ (a) Artem aliam, quæ hic non tangitur, adhibuit Julianus, ut Christianos deleret. Notat fovisse illos inter se simulates, & cum dissidiis illis tollendis Christiani ante illum Imperatores operam omnem dedissent, actis in exilium illis, qui fratres suos inique perfidebantur, e re sua censuit dissidia illa fovere, revocatis ab exilio iis qui vel fautores, vel auctores, vel saltem causa dissidiorum extiterant. Ita factum esse cum S. Athanasio constat, cui

„ cui liberum reditum Alexandriam concessit, eo scilicet, ut opinor, consilio, ut excitatum ejus causa Schisma crederet.

Juliano demortuo, Flavius Jovianus a militibus electus est Imperator. Fuit Princeps optimus, pius, Christianorum amator, & dignus, qui diutius ob præclaras virtutes, quibus præditus erat, administraret Imperium. Sed præmatura morte obiit in Oppido, cui nomen *Dadasthane* inter Galatiam, & Bithyniam, seu ex cruditate stomachi, seu ex noxio halitu cubiculi, in quod recens calce illitum prunæ fuerant adjectæ, anno 364. ætatis suæ 33. Imperii mense octavo.

Flavius Valentinianus ex oppido Pannoniæ Cibala, Gratiani filius successit Joviano die XXVI. Februarii ejusdem anni, ac Valentem fratrem suum consortem fecit Imperii. Valens, cui frater Valentinianus totum Orientem reliquit, Ariano partes plurimum promovit, Orthodoxos Episcopos, qui sub Constantio Imperatore exilio multati fuerant, iterum solum mutare coegit, & omnibus Catholicis funestum in Oriente bellum indixit. At versa vice Catholici, qui erant in Occidente, summa pace sub Imperio Valentiniani, ejusque filiorum Gratiani, & Valentiniani junioris potiti sunt. Denique, mortuo Valente Imperatore Ariano, pax in universa Ecclesia reseruit sub Imperio Theodosii Magni, ejusque filiorum Arcadii, & Honorii, ac tam late in toto Imperio Romano propagata est Christiana Religio, ut vix ullum id ætatis in eo relictum sit antiqui Ethnicismi vestigium.

D. Fuitne Christiana Religio apud barbaras Nationes, quæ sitæ erant extra fines Imperii Romani, tam late in quarto Ecclesiarum seculo diffusa, quam in toto Imperio Romano?

M. Quamvis nullus dubitem, quin Religio Christiana citius in Imperium Romanum fuerit inuenta, quam ad barbaras Nationes, quæ extra ditionem Imperii Romani sitæ erant; facile tamen crediderim, viros Apostolicos longe ante quartum Ecclesiarum seculum Evangelii lumen ad barbaras illas Nationes intulisse. At enim S. Joannes primam suam epistolam direxit ad Parthos, unde colligitur jam tum temporis in Perside fuisse Christianos. *Bardesanes*, qui in Mesopotamia sub finem secundi sæculi florebat, testatur, Christianos ea ætate Parthorum, Medorum, & Persarum regiones penetrasse. Tertullianus tertii sæculi Scriptor l. adversus Judæos c. 7. ait, multas Insulas plane ignotas, & loca Romanis inaccessa Christo subdita fuisse. Sic enim loquitur: *Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diverse Nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abitarum multarum gentium, & Provinciarum, & Insularum multarum nobis ignotarum, & que enumerare non possumus.* Jacobus Nisibensis ineunte quarto sæculo e Mesopotamia perrexit in Persidem, ut Christianos inviseret, & Infideles Evangelii luce illustraret. Tempore Concilii Nicæni anno 325.

„ celebrati, Christiana Religio in Persarum Imperio, & in Adiabænorum regione erat plurimum amplificata. Sed anno Christi 343. dita persecutio adversus Christianos a Sapore Persarum Rege excitata est, qua diruta sunt Ecclesiarum, & ad mortem damnati quotquot Christum colerent sine ullo ætatis, vel sexus discrimine. Sæviente hac atrocissima persecutione Simeon Seleuciæ & Cresiphontis Episcopus martyrium passus est, & una cum ipso innumerabilis Christianorum multitudo cæsa. Sed cum in hac tumultuaria, & promiscua Christianorum cæde morti traditus esset Azades, qui erat Saporis Persarum Regis Eunuchus charissimus, tantum ex ejus nece doloris hausit ille Rex, ut deinceps neminem Christianum plecti voluerit, præter legis Magistratos, in quos tam crudeliter sævitum est, ut bene multi Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Monachi, sacræ Deo Virgines, alique officiis Ecclesiarum addicti perierint. Duravit hæc persecutio usque ad Saporis Persarum Regis mortem, quæ contigit anno Christi 380. Post Saporem Artaxerxes germanus frater, ut regni tum particeps, quatuor ubi regnans egisset annos, emoritur. Hujus filius Saporis & ipse dictus, annos quinque regnavit. Totidem vero & geminatos, alteroquo adjecto Saporis filius Varanes. Post hunc Isidigeres filius suscepit Principatum, qui & Magnus apud Romanos habetur, & celeberrimus, ait Agathias Scriptor sexti sæculi l. 4. de Imperio & gestis Justiniani n. 12. Hunc Isidigerem, vel Isidigerdem, qui anno 399. in Perside regnare cepit, & quem Arcadius Romanorum Imperator anno 408. moriens filii sui Theodosii junioris tutorem instituit, Christianis adfavisse & nullam adversus ipsos persecutionem movisse, affirmant quidem Scriptores. Sed falluntur. Nam licet, teste Agathia l. mox laudato, Isidigerdes Persarum Rex, cum unum & viginti annos regnasset, nullum unquam adversus Romanos bellum susceperit, nec nulla eos affecerit molestia, sed potius Theodosio juniore, cujus erat tutor, Imperium conservaverit: certum tamen est, hunc Isidigerdem adversus regni sui Christianos persecutionem movisse anno Christi 414. usque ad annum 420. quo e vivis excessit. *Vararanes* Isidigerdi patri succedens non solum persecutionem adversus Christianos in Perside commorantes jam excitatam continuavit, sed etiam bellum in Romanos movit, a quo pater ipsius Isidigerdes omnino abstinerat. Tandem Isidigerdes II. qui Vararani patri anno 440. successit, persecutionem adhuc per quatuor annos continuavit, ac subinde hæc persecutio, quam in Perside contra Christianos anno 414. Isidigerdes I. movere cepit, duravit per triginta annos, & sub Isidigerde II. circa annum 444. finem accepit. De hac Perside persecutione plura legi possunt in Critica Pagii ad annum Christi 408. 414. 420. & 440. (a)

„ (a) Juvat hic referre integrum Regis Saporis edictum in Christianos latum, prout recitatur a Marutha Episcopo Tagritensi in Mesopotamia, prout ex Codice Syriaco refertur a Cl. Josepho Simonio Assemani Biblioth. Orient. Tom. I. part. I. p. 191. *Quicumque me amat,*

„neumque regnum cupit, illud sibi curandum intelligat, ut nullus Christianus notus nomine in suis finibus, aut sua sub ditione commoretur, quin solem adoret, ignem, & aquam colat; atque animalium cruorem comedat. Quicumque ista facere detrectaverit, magistratibus traditus ex ipsorum sententia torqueatur, & pereat.

In Æthiopia, seu in India citeriori circa annum Christi 317. Evangelium prædicarunt *Fruventius*, & *Ædesius*, filii cujusdam *Meropii* Philosophi Tyrii, qui inspiciendorum locorum, & Orbis perlustrandi gratia Indiam adire voluit, habens secum duos puerulos, quorum junior erat *Ædesius*, alter ætate major *Fruventius* vocabatur. Sed in reditu, cum ad portum quendam navis, qua vehebatur *Meropius*, applicuisset, a barbaris occisus est, & duo ejus filii ad Regem ducti sunt. Rex *Ædesium* Pincernam suam fecit, & *Fruventio* rationes suas, scriniaque commisit, moriensque uxorem suam cum puerulo filio regni hæredem reliquit: Rogavit utrumque Regina, ut secum, donec puer Regius adoleceret, administrandi regni sollicitudinem partirentur. Qua occasione *Fruventius* bene usus, negotiatores Romanos, qui Christiani erant, monuit, ut conventicula per loca singula facerent, ipseque aliquas construxit Ecclesias, quo Christiana Religio his in locis latius propagari posset. *Fruventius* & *Ædesius*, postquam Regius puer adolevit, reversi sunt, & *Fruventius* Sanctum *Athanasium* Episcopum Alexandrinum monuit, ut jam plurimis Ecclesiis in his Regionibus extructis aliquem Episcopum illuc mitteret. Quare *S. Athanasius* ad firmiter stabilendam, & conservandam in India Fidem Christianam, *Fruventium* Episcopum ordinatum illuc redire iussit, & sic per *Fruventium* Christiana Religio in Indiæ partibus disseminata, atque propagata fuit.

Gothi, qui ex in insula dicta *Scanuja*, seu *Scandinavia* oriundi in Germaniam irrumpentes ultra Danubium sedes suas fixerant, Christianæ Religionis jugo sub finem tertii sæculi colla subdiderunt. Unus ex Episcopis *Gothorum* gentis interfuit Concilio *Nicæno* primo. Verum cum apud *Gothos* plures essent infideles, quam Christiani, contigit, ut *Gothi* infideles e terris suis expellerent Christianos, quibus *Constantinus Magnus* aliqua Imperii loca ad habitandum attribuit. *Valente* postea Imperatore, ortum est bellum *Gothos*, qui ad Orientem habitabant, & ob id *Ostrogothi*, idest Orientales *Gothi* dicebantur, inter & *Gothos*, qui erant in Occidente, & qui *Wisigothi*, seu Occidentales *Gothi* appellabantur. *Wisigothis* præerat *Fridigerus*, seu *Friugernus*, *Ostrogothos* regebat *Athanasius*, qui circa annum Christi 370. complures suorum ob Christi nomen crudeliter insectatus est, multos relegavit, multos neci dedit, qui pro Martyribus in Ecclesia celebrantur. Non potuit tamen *Athanasius* omnes suæ gentis Christianos exterminare, plurimi siquidem in Fidei Christianæ professione perseverarunt: sed *Ulphilas* illius gentis Episcopus Ariana hæresi infectus pestiferum Arianæ erroris Christianis afflavit, quo factum est, ut *Gothi* in Ariana hæresi luto hæserint, & a vita fide relicta in errore deinceps fuerint obfir-

mati. De incremento, & propagatione Christianæ Religionis apud alias barbaras Nationes in quarto Ecclesiæ sæculo, cum nihil certi, ac comperiti tradant Historici, nihil impræsentiarum mihi occurrit dicendum.

D. Dum de propagatione Christianæ Religionis in quarto Ecclesiæ sæculo sermonem haberes, subiit animum difficultas, de qua viros eruditos inter se acriter disputantes nuperrime vidi, quo tempore videlicet nostratibus Gallis annunciari coeptum sit Evangelium? asserbant quippe nonnulli, Ecclesias in Galliis dumtaxat fundatas esse tertio sæculo, circa annum videlicet ducentimum quinquagesimum, paulo ante *Decii* & *Grati* Consulatum. Exadverso alii pertendebant, Religionem Christianam ante tertium sæculum, immo & ante secundum in Galliis satam ac stabilitam fuisse. Quid tu hac de re sentias paucis aperire ne graveris.

M. Utroque pollice subscribo sententiæ illorum, qui Religionem Christianam ante tertium sæculum in Galliis stabilitam esse affirmant: Atenim, præter *Tertullianum*, a me jam citatum, qui restatur, suo tempore, hoc est, tertio sæculo, Evangelium per varias Galliarum Provincias promulgatum, fidemque a variis in eo Regno populis susceptam fuisse; Sanctus etiam *Irenæus Lugdunensis* Episcopus, qui anno circiter centesimo nonagesimo florebat, id non obscure tradit lib. 1. adversus Hæreses c. 31. ubi varias recensens Ecclesias, in quibus eadem traditio fidei viget, hæc habet: *Nam etsi in Mundo loquela dissimiles, sed tamen virtus traditionis una, & eadem est. Et neque hæc, que in Germania fundate sunt Ecclesie aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæc, que in Iberis sunt, neque hæc, que in Celtis, neque hæc, que in Oriente, neque hæc, que in Ægypto, neque hæc, que in Libya, neque hæc, que in medio Mundi sunt constitute.* Fides igitur Christiana jam tempore *S. Irenæi* per Gallias, quas *Celtarum* nomine designare voluit *S. ille Pater*, erat propagata. His duobus antiquis Scriptoribus adjungo *S. Cyprianum*, qui in Epistola 67. ad *S. Stephanum* Pontificem data anno 258. ipsum urget, ut scribat ad Galliarum Episcopos, ut *Marcianum* Arelatensem Episcopum, qui ad *Novatianum* defecerat, sua communione minime dignentur, sed potius alium, ipso exauctorato, Episcopum constituent: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem littere, quibus abesto Marciano, alius in locum ejus substituantur, ut Grex Christi in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus colligatur.* Quibus verbis liquet, tempore *S. Cypriani* non recens in Galliis fundatas esse Ecclesias, sed jam diu floruisse suis Episcopis, & Romano Pontifici adunatas. Cæterum, an veræ sint istæ traditiones, quibus multi adducuntur, ut credant, venisse in Galliis in primo Ecclesiæ sæculo viros Apostolicos, & in variis illius Regni Provinciis Evangelium prædicasse, *Gratianum* videlicet *Turonensibus*, *Trophimum* *Arelatensibus*, *Paulum* *Narbonensibus*, *Mantialem* *Lemovicensibus*, *Dionysium* *Areopagitam* *Parisiensibus*, *Saturninum* *Tolosanis*, *Lazarum*, & *Magda-*

Magdalenam *Massiliensibus*, *Martham* *Taralconensibus*; has, inquam, traditiones, quæ circumferuntur, sicut historice, ob multas, quæ occurrunt difficultates, veras esse affirmare non audeo, sic ob gentis nostræ gloriam, eas tanquam omnino falsas explodere, aut improbare non debeo. Sed potius libratis momentis, quæ in utramque partem hæcenus adduxerunt viri eruditi, existimo longe consultius esse nihil palam dicere, aut scribere, quod piam majorum nostrorum opinionem convellere possit. Quapropter huic Colloquio de statu Ecclesiæ in quarto sæculo finem impono.

COLLOQUIUM II.

De Schismatibus, & Hæresibus, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo emerferunt.

M. Dum spes affulgebat, fore ut Christiana Religio, profligata in universo Romano Imperio Tyrannis, sub Christiano, & piissimo Principe *Constantino* summa, & diuturna pace potiretur, ecce subito, instigante Diabolo, discordiis intestinis & enatis hinc inde Hæresibus discindi cœpit Ecclesia ab his, qui nomine Christiani perperam gloriabantur. Duorum quippe turbinum procellis, videlicet Schismatibus *Donatistarum*, & *Melesianorum* sub *Constantino* Magno concussa est, ejusque doctrina a variis Hæreticis oppugnata, adeo ut optimo jure cum *Propheta* lamentari posset Ecclesia: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

D. Incipe, quæso, a *Donatistarum* Schismate, ejusque exordium, ac progressum breviter expone.

M. Schismatis *Donatistarum* Historiam scripsit *Optatus* *Milevitanus* Episcopus in libris adversus *Parmentianum* *Donatistam*. Complures de eodem argumento libros, & epistolas edidit *S. Augustinus*. Extat etiam collatio *Carthaginensis* cum *Actis* purgationis *Cæciliani*, atque *Felicis* *Aptungrani* Episcopi, ex quibus plenissima hauriri potest hujus Schismatis historiae notitia. Nihil fecius tuæ utilitati ut consulam, omnia summatim perstringam, quæ ad exordium, atque progressum *Donatistarum* Schismatis spectant. Florebat in Africa sub finem tertii sæculi Christiana Religio, quam motæ hac illac persecutiones splendidiorem & augustiorem reddiderant, nedum abolere potuerant. At funesta Imperatorum *Diocletiani* & *Maximiani* *Herculei* adversus Christianos Edicta anno 303. in Africa publicata, & eo furore executioni fuere mandata, ut Magistratus omni cruciatuum genere cogerent Christianos ad tradendos sacros Codices igne exurendos. Contigit autem, ut Christiani, non solum inter Laicos, sed etiam inter Clericos & Episcopos supplicii fracti, vel quæstionum, pœnarumque metu deterriti, libros & vasa sacra tradiderint, & ideo *Traditores* in Africa appellati. Quod semen *Donatistarum* Schismatis postea fuit. Fuerunt e diverso alii Christiani, qui zelo ducti, sed non secundum scientiam, palam & audacius, quam

par esset, professi sunt, penes se habere libros sacros, & Ecclesiæ suppellectilia, ea tamen Ethnicis nullo pacto tradere velle: & isti vitam in tormentis reliquerunt. Denique, alii Christiani longe prudentius se gerentes, libros, & vasa sacra occultarunt, & ne in manu Gentilium venirent, omnem operam dederunt. Deservescente anno 305. tam immani persecutione, habita est *Cyrtæ* in *Numidia* Synodus Antistitum, ut in ea ageretur causa *Traditorum*, seu eorum, qui obtemperantes *Diocletiani* & *Maximiani* *Herculei* edicto, divinos Codices, aliaque res sacras Magistratibus tradiderant, aut Idolis thura adoleverant. *Secundus Tigistinus* Episcopus *Numidiæ* Primas huic Concilio præfuit, qui, postquam omnes ferme, qui aderant, Episcopos hujus criminis convicisset, ejusdem sceleris vicissim accusatus est a *Parpuri* *Limatensi* Episcopo, qui reus erat necis filiorum sororis suæ. Quapropter, cum omnes pene isti Episcopi in eadem navi essent, & in eodem clivo insudarent, ne in Ecclesia excitaretur Schisma, *Secundo Tigistano* consultius visum est, ut hi, qui istius criminis erant accusati, in communionem Ecclesiæ reciperentur, causa & iudicio soli Deo cordium inspectori relatis. Hujus Synodi *Cyrtæ* celebratæ & eorum omnium, quæ in ea gesta sunt, meminit *Sanctus Augustinus* lib. 3. contra *Cresconium* capitibus 26. 27. & 28. Hæc, quæ hæcenus retuli, præcesserunt *Donatistarum* Schisma, cui tandem initium dedit ordinatio *Majorini* in locum *Cæciliani* *Carthaginensis* Episcopi, sicut testantur *S. Augustinus* & *Optatus* *Milevitanus*. Sed quo anno contigerit ordinatio *Majorini*? non est levis difficultas. *Baronius* ordinationem *Majorini*, ac subinde *Donatistarum* Schismatis originem confert in annum Christi 306. Sed hanc *Majorini* ordinationem melius alii, mea quidem sententia, referunt ad annum Christi 311. quo anno *Alexander*, qui in Africa tyrannidem anno 307. arripuerat, & per quinquennium Christianos vexavit, idest, usque ad annum 311. fuit debellatus a *Maxentio*, qui Christianos in Africa pace donavit, sicut diserte asserit *Optatus* lib. 1. his verbis: *Iisdem temporibus Felix quidem Diaconus, qui propter famosam, nescio quam, de tyranno Imperatore, idest, de Alexandro, qui in Africa tyrannice imperabat, tunc factam epistolam, appellatus est, periculum timens apud Mensurium Episcopum delituisse dicitur, quem cum postularum Mensurium publice denegaret, relatio missa est, rescriptum venit, ut si Mensurium Felicem Diaconum non reddidisset, ad Palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebantur angustias. Erant enim Ecclesie ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terre, nec secum portare poterat. Quas fidelibus senioribus commendavit, commentario facto, quod cuidam ancule dedisse legitur; itaut si ipse non rediret, reddita pace Christianis, ancula illi daret, quem in Episcopali Cathedra sedentem inveniret. Profectus causam dixit. Jussus est reverti Carthaginem: pervenire non potuit (quia in via decessit) tempestas persecutionis peracta, & definita est. Jubente Deo, Indulgentiam mi-*